

ras intelligitur divina substantia habere in se immensitatem, ergo fundat in ordine ad nostrum conceptum designabilitatem præsentiae in quacumque parte distantiae imaginariæ. Antecedens patet, quia effectus formalis immensitatis non convenit substantiæ divinæ libere, et dependenter ab immutatione creaturarum, alias Deus non esset necessario immensus in se, sed effectus formalis immensitatis, ut est peculiare attributum ab aliis distinctum est reddere Deum præsentem præsentia infinita, neque enim est assignabile aliud quod faciat, ergo ante contactum immutativum creaturarum datur isti præsentia immensa in Deo. Consequentia vero probatur, tum quia illa præsentia concipitur in nobis, ut infinita, ergo antequam esset mundus, designari poterat ut infinita, ergo et modo ultra quemcumque locum infinitum designari potest, alias maneret præsentia illa finita. Tum etiam, quia si ante mundum, vel ultra mundum non possumus designare per conceptum nostrum ubi sit Deus, ergo quando imaginamur aliquam distantiam ultra mundum, tunc non erit verum dicere ibi est substantia Dei et consequenter ejus contradictoria erit vera, ibi non est substantia Dei, eadem autem ratio est de omni parte spatii, ergo ante mundum in nulla parte spatii, seu nullibi erat designabilis substantia Dei. Et licet Deus sit in se ipso, tamen hoc quod est in se ipso est designabile ubi sit, et si nusquam est, ac per hoc neque est, ut Augustinus dicit ubi supra.

XXII. Respondetur distinguendo consequens, antecedenter ad contactum fundat designabilitatem præsentiae virtuales, et mediatum respectu spatii, concedo; formalem, et immediatum, nego, et sic est verum dicere quacumque partes patii desi-

gnata ibi est Deus virtualiter, quia est virtus in Deo potens ibi producere creaturam, qua mediante, et per effectum in ipsam dicitur etiam in spatio esse in quo est creatura, non formaliter, et quasi immediate per se applicatus, et commensuratus spatio. Ad primam probationem consequentiæ, respondetur quod ante vel ultra modum præsentia Dei est infinita in se ipso, et virtualiter respectu omnium, quæ possunt poni in spatiis imaginariis, non tamen actu, et immediate est applicata infinitis illis spatiis. Ad secundam probationem respondetur quod in quacumque parte illius distantiae erit verum designare, hic est substantia Dei, distinguo; hic est virtualiter, et mediate quatenus potest ponere hic alicquam creaturam, concedo; est hic applicata, et immediate in actu ei correspondens, nego; sed solum est in se ipso per existentiam cum virtute ad applicandam præsentiam rei, quam potest producere in quocumque spatio.

XXIII. Ex quo colligitur, quod immensitas non habet pro effectu formali facere rem præsentem per immediatam comparisonem, et applicationem ad spatia, quasi necessario substantia alligetur, seu applicetur illis, sed effectus formalis ejus est reddere Deum contactivum, seu potentem agere in omnem creaturam extra se in quacumque parte spatii, sicut effectus formalis omnipotentiae non est producere res effective, sed reddere Deum potentem producere; et hæc est major perfectio immensitatis, quia perfectio ejus non consistit solum in extensione, et applicatione necessario habenda ad illa, sicut si consideretur corpus infinitum quod esset immensum immensitate quadam alligata, et necessario applicata spatio, Deus autem non sic, sed habet

immensitatem ita absolutam, quod est omnino independens ab spatiis, nec respicit illa implendo ea immediate, sed tamquam agens effectivum, quod prius respicit res effectas, quam loca, seu spatia, in quibus efficit, et sicut forma non prius respicit locum, in quo informat, sed materiam, quam in tali loco informat.

XXIV. Secundo, arguitur quia quando Deus de facto operatur, esse ibi præsentem ubi operatur non est denominatio pure extrinseca in Deo proveniens illi a re producta, ergo hæc non potest advenire Deo de novo, sed semper illi convenit, non autem convenit limitate, et finite, quia potest ubique, et in quocumque spatio operari, ergo habet præsentiam intrinsecam respectu omnis spatii imaginarii. Primum antecedens probatur, tum quia omne agens, sicut agit ut existens in rerum natura, sic agit ut præsens, ergo sicut est existens per denominationem intrinsecam, sic est præsens ubi operatur per denominationem intrinsecam, et antecedenter ad effectum operatum: tum quia in creatis rem esse præsentem est denominatio intrinseca non extrinseca, sicut esse visum, habetur enim per aliquid intrinsecum, scilicet per ubi, ergo similiter in Deo. Sed hæc præsentia intrinseca, seu ubi non potest provenire Deo ex productione, et immutatione passiva creaturæ, ergo antecedenter ad illam debet Deo convenire, alias aliquid intrinsecum haberet Deus ex productione creaturæ, quod non habet sine illa. Præsentia autem non est ad se, sed ad spatia, quia pro se sufficit existentia.

XXV. Confirmatur, quia si daretur corpus infinitæ quantitatis esset præsens in quacumque parte spatii, et similiter si daretur aliquis spiritus creatus qui haberet majorem

sphæram, quam aliquod corpus v. g. unius palmi, quod solum esset productum in rerum natura, tunc ille spiritus non solum adæquaretur illi corpori, sed extra illud haberet præsentem suam substantiam, quia habet majorem sphæram, quam tale corpus, et potest extra illud moveri, et consequenter acquirit aliquam præsentiam in spatio extra corpus, ergo similiter Spiritus divinus, qui habet majorem sphæram in infinitum, quam totus mundus extra ipsum est præsens per illa spatia, licet immutabiliter.

XXVI. Respondetur præsentiam Dei non esse denominationem extrinsecam, licet relatio præsentiae Dei ad res non sit realiter, et intrinsece in Deo, sed solum sit relatio rationis, fundamentum autem hujus præsentiae est aliquid intrinsecum in Deo, non per modum ubi passive se habentis, sed per modum præsentiae activæ, et contactus immutantis rem cui est præsens, non autem passive reddens Deum applicatum, et alligatum spatiis, ut hoc modo reddatur præsens rebus, quæ in spatio ponuntur per applicationem passivam, et conjunctionem sui, sed reddens Deum præsentem eo modo quo agentem, scilicet per aliquid intrinsecum, non quod sit ubi passivum vel ex passiva applicationis sui resultans, sed quod sit virtus, et actio Dei immutativa, quæ quidem intrinseca est Deo, sed non denominatur de facto agens, nisi sequatur effectus, et consequatur relatio rationis in actione divina, ita non dicitur præsens præsentia illa contactus immutativi, nisi sequatur extremum quod tangit, et cui sit præsens, et consequatur relatio rationis in ipsa contactiva virtute sic immutante. Quare non negamus præsentiam Dei sumptam fundamentaliter, et non relative esse aliquod reale in Deo, sed dicimus

non denominare Deum præsentem passive, sed active; et quia est acti-
vitas omnino absoluta, et independens
a subjecto, vel spatio, cui prius
assistat, sed omnino respiciens pro
effectu, quem tangat, et producat,
ideo non est illa præsentia Dei in-
trinseca de facto denominans, ante-
quam sit effectus ipse immutatus,
qui est extremum talis præsentia.
Nec respicit immediate spatia, quia
cum sit præsentia activa, et contac-
tus effectivus, immediate respicit
effectum, et mediante illo spatium,
in quo est effectus, sicut anima im-
mediate respicit corpus quod infor-
mat, et mediante illo locum in quo
est corpus. Et quia actio in Deo po-
test esse entitative sine hoc, quod
sequatur effectus nisi suo tempore,
ita stat bene esse realiter, et entita-
tive illam præsentiam immutati-
vam in Deo fundamentaliter, nec ta-
men esse de facto præsentem deno-
minative, quousque ponatur extre-
mum cui est præsens non per mu-
tationem Dei, sed per mutationem
effectus.

XXVII. Ad confirmationem res-
pondetur esse disparem rationem
inter contactum divinum, seu præ-
sentiam, et contactum corporis, seu
spiritus creati, ut supra diximus,
quod contactus divinus est contac-
tus primi agentis, respectu cuius
omnia comparantur, ut effectus.
Unde non potest tangere aliqua,
nisi efficiendo illa, non autem prius
applicatur spatio, et mediante tali
assistencia ad spatium fit etiam as-
sistens, et præsens rei, quæ ponitur
in spatio. Res vero creatæ talem
fundant præsentiam, et contactum,
quod prius intelliguntur habere
existentiam, et assistentiam alicui
spatio, vel alicui passo, ut mediante
tali assistencia etiam assistant rei,
quæ in tali spatio ponitur, vel ex
tali spatio educitur, quasi passiva
quadam correspondentia, et appli-

catione vel assistencia sui ad ea,
cum quibus habent præsentiam,
quia comparantur ad illa non ut
agens universale, sed ut particulare
ad particulare, quæ per applicatio-
nem unius cum alio sit, et ideo
præsupponuntur habere præsen-
tiam, ut compræsententur et con-
tactum habeant. Cæterum spiritus
divinus non potest fundare ad res
extra se contactum penes applica-
tionem passivam suæ præsentia, sed
per applicationem activam quate-
nus agendo tangit extremum, quod
solum potest esse effectus, et ideo
comparatur immediate ad res pro-
ducibiles, et factibiles a se, et me-
diantibus illis ad spatia, in quibus
sunt, non autem prius redditur appli-
catus passivæ ad spatia et quasi
implens illa, et postea quasi con-
tactu passivo tangit res in eodem
spatio positas. Quamquam etiam de
spiritu creato hæerere potest senten-
tia, an in spatio imaginario possit
se præsentem exhibere, et se mo-
vere nullo corpore posito, in quod
agat, cum solum virtualiter sit in loco
per operationem suam, non quod
omnia respiciat ut effectum, sed ali-
quid debet respicere ut passum, ex
quo educat suum effectum, et ita
prius intelligi debet præsentiam An-
geli ad aliquid tamquam ad passum
(quamvis tam ad passum, quam ad
effectum se applicent per operatio-
nem) quam ad aliquid, ut ad effec-
tum. Deus autem omnia tangit ut
effectum, nihil per passivam appli-
cationem sui. Sed de his, quæ per-
tinent ad locum Angeli agemus in-
fra quæstione LII.

XXVIII. Ultimo, arguitur ab in-
convenientibus. Nam primo sequi-
tur Deum posse mutari. Sequela pa-
tet, si Deus crearet rem aliquam
supra istum mundum, vel de facto,
quando corpus Christi Domini as-
cendit super omnes cælos, tunc
enim fuit Deus præsens illi corpori

in spatio supra cælum, cui ante as-
censionem non erat præsens. Ergo
si ante ascensionem illius corporis,
substantia divina non assistebat illi
spatio, et modo assistit, cum illa
præsentia, seu assistencia non sit
denominatio extrinseca in Deo, sed
intrinsece ipsum afficiat, necessa-
rio debet poni, quod mutatur Deus,
aut si non mutatur, antea habebat
illam præsentiam. Secundo, sequi-
tur Deum posse moveri successive,
si ultra cælum moveret lapidem,
tunc enim ubicumque esset lapis
deberet esse Deus, ergo si substan-
tialiter non est præsens, ubi non est
lapis, et lapis successive movetur,
consequenter Deus etiam successive
præsentiam suæ substantiæ debet
mutare, quia accommodatur ad
existentiam lapidis in spatio, ita
quod ubi desinit esse lapis, non ma-
net præsentia Dei. Tertio, sequeretur
quod Deus secundum præsentiam
suæ substantiæ posset esse divisus,
quod est omnino absurdum. Patet
sequela, si Deus in spatio imagina-
rio produceret duo corpora inter se
distantia, vel duos mundos distan-
tes, tunc vel præsentia substantiæ
Dei esset in medio illorum corporum,
vel non. Si primum, est intentum,
quia jam Deus esset in spatio ima-
ginario. Si secundum, esset divisus,
quia ejus substantia esset in utro-
que corpore, et non in medio.

XXIX. Respondetur ad primum
inconveniens, quod quando ponitur,
et movetur aliquid corpus ultra
mundum Deus non est de novo in
illo per præsentiam aliquam in ipso
Deo receptam, qua substantia Dei
de novo dicatur præsens, et appli-
cata, sed per immutationem, et ac-
tionem in illud corpus, quod move-
tur, vel ponitur extra mundum,
quod autem movetur, debet passive
mutationem aliquam recipere. Ex
hoc autem, quod Deus agat, et im-
mutet aliquid non movetur, nec

mutatur in se, quia non agit ut mo-
tus ab alio, neque ut transiens de
potentia ad actum, sed ut pure mo-
vens, et ut actus purus. Unde quan-
tumcumque ponatur, vel moveatur
corpus extra mundum Deus non
movetur, sed solum active immu-
tat illud, sicut quando creavit mun-
dum in hoc spatio, in quo non est,
non est mutatus Deus.

XXX. Ad secundum inconveniens
eodem modo respondetur quod si
moveretur corpus per vacuum Deus
non moveretur etiam per accidens,
quia licet producat illum modum,
et active immutet corpus, non ta-
men aliquid recipit in se, quo tran-
seat de loco ad locum. Ut autem
aliquid moveatur etiam per acci-
dens, oportet, quod aliquid passive
in se recipiat, vel saltem aliquam
habitudinem mutet in ordine ad lo-
cum, ita quod dicatur esse, et non
esse illic. Deus autem cum sit pu-
rum movens, et purum agens ha-
bensque virtutem præsentiam, id
est, virtutem potentem sibi præsentia-
re omnia loca, et omnes res, quas po-
test facere in locis, per hoc, quod
moveat aliquid corpus per spatium
imaginarium non dicitur in se im-
mutari, nec relinquere unum lo-
cum, et acquirere alium per immu-
tationem aliquam suæ virtutis, et
suæ substantiæ, sed per eandem
virtutem immutatam in se movet
corpus illud, et ponit modo in una
parte spatii, et modo in alia, sine
hoc, quod Deus moveatur, quia non
immutatur in se cum movet. Et
quando desinit esse in hac parte
spatii, in qua erat corpus, et inci-
pit esse in alia, ad quam movetur,
non hoc fit per mutationem ipsius
Dei, vel per aliquid de novo in eo
receptum, sed per solam mutatio-
nem creaturæ, quam modo ponit
in uno, modo in alio spatio, sicut
si Deus annihilaret mundum desi-
neret esse in illo, et in spatio illius

non per mutationem sui, sed per mutationem ipsius creaturæ, quæ est alterum extremum hujus præsentia.

XXXI. Et si adhuc urgeas: Nam non solum quantum ad connotationem, et denominationem, sed etiam quantum ad substantiam Deus antea non erat præsens in hoc loco, et modo producto lapide est præsens ibi secundum substantiam, ergo mutatur, respondetur distinguendo minorem: modo est præsens secundum substantiam immutantem creaturam concedo; secundum substantiam recipientem in se præsentiam, et applicationem passivam ad creaturam, nego. Ex hoc autem non sequitur, quod Deus mutetur quando actu existit in hoc loco, vel in hac re, quæ de novo fit in spatio, sed quod mutet talem rem, vel talem locum, et ratione talis mutationis activæ dicitur Deus esse secundum suam substantiam ubi antea non erat, quia antea non immutabat, erat tamen antea in se ipso cum virtute, et potentia immutandi, et existendi in illo, et reddendo sibi præsens per activam immutationem, non per aliquam passivam applicationem suæ substantiæ. Res autem operans, et agens potest adesse, vel abesse secundum suam substantiam ab aliqua re, non solum per mutationem sui, sed per mutationem ejus cui assistit secundum suam substantiam immutantem illud. Unde frustra torquetur Vazquez in solutione hujus argumenti hic disputatione XXIX, c. v.

XXXII. Ad ultimum inconveniens respondetur illud fundari in falsa imaginatione rerum spiritualium, quasi dividatur earum substantia, si non continuatim ponatur in spatio, ita quod operatur in extremis, et non in medio, hoc enim sufficeret ad divisionem rei quantæ, quæ commensuratur ipsi spatio. Cæte-

rum non sufficit ad divisionem virtutis spiritualis, quæ independens est a commensuratione medii. Unde licet ejus substantia intelligatur ponere operationem suam in extremis, et non in medio non sequitur, quod dividatur in se, sed quod dividat effectus, et quod substantia ejus assistat illis sic divisus sine divisione sui in quo oportet transcendere imaginationem, et corrigere illam ex eminentia rei spiritualis, et independentiæ illius ab omni commensuratione medii. Quod etiam solet dici ab aliquibus de Angelo, qui intra suam spheram potest esse in extremis sine eo, quod sit in medio, ita Deus in toto spatio imaginario, quod est sphaera immensitatis suæ potest ponere effectus in diversis partibus spatii, illisque assistere per suam substantiam, ut immutativam illarum sine hoc, quod sit in spatio intermedio actu sine divisione suæ substantiæ. Et hoc multo melius quam Angelus, quia licet Angelus sit in loco per virtutem operativam, tamen virtus ejus operativa est dependens a passo in operando, passum autem est corpus continuum, et divisibile, et ideo ex hac parte debet virtus spiritualis Angeli accommodari suo modo ipsi passo, Deus autem omnino liber, et independens est ab omni spatio, et ab omni passo, quia potest creare ex nihilo, et sic minus alligatur passo continuo, et divisibili ad operandum. Si vero ab Angelo removeatur omne passum, et omne corpus, ex quo, et in quo operetur, talis Angelus non manebit in loco, sed manebit secundum se potens existere in loco, actu tamen non dicetur habere locum, ut ex D. Thoma, in dist. XXXVII, I sent. dicemus infra qu. LII. Non enim est inconveniens Angelum manere sine omni loco actuali, licet maneat cum potentia ad habendum locum, sicut caret omni cor-

pore, in quod operetur. Sed de hoc dicemus latius citata quæstione LII.

XXXIII. Si autem inquiratur, quomodo Deus sit actu in æternitate, et omnes res physice sibi faciat præsentis, ut communiter sentiunt Thomistæ: immensitas autem non possit esse præsens rebus ipsis, vel spatiis imaginariis, hoc argumentum urget p. Arrubal, disput. XI citata, cap. VII. Sed respondebimus infra tractando de æternitate, et de modo quo res sunt in æternitate. Nunc breviter dicimus quod ad immensitatem pertinet ponere contactum divinum ad res, contactus autem ille est immutativus, et consequenter antequam res sint immutatae in se non dicitur præsentiam Dei ponere ad spatia replendo illa, vel alio quocumque modo, quia præsentia illa, et contactus est effectivus, et non potest tangere, quod non potest efficere. At vero æternitas licet faciat Deum æternum in se, sicut immensitas existentem in se, et virtualiter in ordine ad ea, quæ potest producere in spatio, tamen respectu earum rerum, quæ mensurantur æternitate non se habet per modum immutantis illas, neque producentis in propria mensura, sed immutabili modo, et æterno in sua mensura complectitur, et ita opposito modo procedit ad immensitatem, quia sub modo immutabili illa tangit, non in propria mensura immutat, sicut immensitas. Sed de hoc dicemus amplius infra disputatione sequenti.

ARTICULUS V.

Utrum modi generales Dei existendi in rebus sint bene assignati a D. Thoma?

I. Modi generales sint tres, existit enim Deus in rebus per essentiam, præsentiam, et potentiam. Circa

quos modos est duplex difficultas. Prima, explicare distinctionem istorum modorum inter se. Secunda, explicare eorum sufficientiam, ita quod non sint plures modi generales existendi, in rebus.

II. Circa primum, difficultas oritur ex ipso processu D. Thomæ, quia modum generalem existendi in rebus dividit in istos tres modos existendi per essentiam, præsentiam, et potentiam. Non autem apparet quodnam sit divisum istius divisionis, et quo genere divisionis dividatur in illos. Etenim modus generalis existendi Dei in rebus videtur esse existentia per modum agentis, et operantis; hic enim contraponitur modo existendi per gratiam, qui est specialis, præsertim cum dicamus rationem formalem existendi Dei in rebus esse operationem: tunc autem modus existendi per essentiam non distinguetur a modo existendi per potentiam, seu per operationem, quæ procedit a potentia, quia essentia non existit, nisi per operationem. Et similiter ipsum divisum commune coincidit cum membro dividente, nam modus existendi in communi est existentia divinæ substantiæ per modum operationis, quæ coincidit cum existentia per essentiam, et per potentiam.

III. Secundo, est difficultas, quia modus existendi per potentiam dicitur esse modus existendi in alio per modum regiminis, sicut rex est in regno per suam potestatem, qui modus existendi est moralis, et metaphoricus. Rex enim movet mediante imperio, et apprehensione suorum decretorum, potentia autem Dei, qua existit in rebus non est moralis, sed physica.

Tertio, modus existendi per præsentiam dicitur consistere in eo, quia omnia sunt præsentia conspectui Dei, hoc autem modo potius res sunt in Deo, quam Deus in illis,